DE HERODIANI VITA, SCRIPTIS FIDEQUE.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA
QUAM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
A. D. XIII. CAL. AUG. ANNI MDCCCLIX
H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
EDWINUS VOLCKMANN,
INSTERBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
G. BUJACK, STUD. HIST. ET PHIL.
M. KOENIGSBECK, STUD. PHILOL. ET PHIL.

REGIMONTI PR.
TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

§. 1.

De Herodiani aetate.

De Herodiano cum perpauca memoriae prodita essent, accidit, ut ejus libri historiarum ad Herodianum Grammaticum, qui quindecim annis ante illum natum florebat, altero confuso cum altero referrentur*). Neque quidquam Herodiani aequales et auctores, qui vel paulo vel multo post eum vigebant ejusque scriptis usi sunt, de vita, conditione, moribus certiores nos fecerunt; de opere ipso uberius vel jejunius pluribus locis tractatur.

Scriptorum veterum numerus parvus est, quorum in scriptis Herodianus nominatur. Photius in bibliotheca res, quae

*) Fabricius in bibl. Graeca vol. VI, lib. IV, c. XXXIX, p. 286 n.: Confundunt alii, Gesnerum in bibl. et Sigonium in judicio de historicis Romanis sequuti (etiam Gibbon in Geschichte des Verfalls und Untergangs des Römischen Reichs, I. Tom, c. V, not. 69, p. 260 ed et vers. Wenck. Lips. 1779. 8), a quibus recte dissentit Hanckius lib. II de Roman. rerum scriptoribus p. 294. Quamvis uno tractu temporis Herodianum Grammaticum vixisse crediderim, caveas ne ejus vitam longius, quam par est, producas. Georgius enim Syncellus in Chronographia p. 253 ad annum CLXV *Ἡρωδιανός*, ait, *γραμματεὺς ἄριστος ἤκμαζεν*. Hujus loci ratione ducta Herodianum Grammaticum circa annos centum vel centum et decem annos natum libros historiae oportuit scripsisse.

Herodiani octo libris historiarum continentur, verbose explanat, eodemque loco de scriptis bene existimat*).

Reliquis vero locis, quibus Herodianus commemoratur, de ejus fide et operis nomine tantum disseritur. Saepissime haud dubie Herodianum laudant scriptores historiae Augustae, qui ab iis, quae ille de imperatorum vitis memoriae tradidit, res petiverunt; omnes non parvam fidem auctoritatemque ei habent; nihilominus Capitolinus in vita Maximin. II c. 13 Herodianus, inquit, Graecus scriptor, qui Maximino, quantum videmus, in odium Alexandri plurimum favet. Praeterea Herodianus laudatur a J. Capitolino vit. Albin. c. 12 Maxim. Balbin. c. 15, a Lampridio vit. Diadum. c. 2 Alex. Sever. c. 52. 57 a Trebellio Pollione XXX Tyrann. c. 32 denique ab Euagrio H. E. V. c. 24 atque Tzetze Chiliad VI, 55.

Cum igitur ab aliis scriptoribus fere nulla accipiamus, quae de Herodiano satius nobis exponant, nos ad ipsum Herodiani opus adire oportet, si qua de se proferat. Maxime dolendum est, quod suis ipsius libris multo minus, quam optamus, adjuvamur. Primum enim perpauca de se tradit ac deinde res imminuit non accurate, sed in universum dicendo et inter se repugnantia narrando, quo fit, ut non ex certis testimoniis in ipsius opere allatis, sed fere ex conjecturis aliquid de Herodiano dici possit. Certum quidem videtur, quamdiu Herodianus vixerit, quo anno natus sit, locis autem inter se dissentientibus ratio labat. Nam Herodianus (lib. I, c. II, § 5) *ἃ δὲ μετὰ τὴν Μάρκου τελευτήν*, inquit, *παρὰ πάντα τὸν ἐμαυτοῦ-βίον εἶδόν τε καὶ ἤκουσα, ἔστι δ' ὧν καὶ πεῖρα μετέσχον ἐν βασιλικαῖς ἢ δημοσίαις ὑπηρεσιαῖς γενόμενος, ταῦτα συνέγραψα*; quo loco initium operis significatur. Ab excessu igitur Marci Aurelii imperatoris res ordiri in animo habet. Li-

*) *Ἔστι τὴν φράσιν σαφὴς καὶ λαμπρὸς καὶ ἡδύς, καὶ λέξει χρώμενος σώφρονι, μήτε ὑπεραττικιζούσῃ, καὶ τὴν ἔμφυτον ἐξυβριζούσῃ χάριν τοῦ συνήθους, μήτε πρὸς τὸ ταπεινὸν ἐκλελυμένῃ, καὶ τὴν ἔντεχνον ὑπερορώσῃ γνῶσιν· οὔτε δὲ περιττολογίαις ἐστὶ σεμνυνόμενος, οὔτε τι τῶν ἀναγκαίων παραλιμπάνων· καὶ ἁπλῶς ἐν ἁπσαις ταῖς κατὰ τὴν ἱστορίαν ἀρεταῖς οὐ πολλῶν ἐστὶ δεύτερος.*

bri secundi in capite ultimo scribit, per quot annos historiam persequi statuerit: *ἐμοὶ δὲ σκοπὸς ὑπάρχει ἐτῶν ἑβδομήκοντα πράξεις πολλῶν βασιλέων συντάξαντι γράψαι, ἃς αὐτὸς οἶδα* i. e. memoriam rerum gestarum per septuaginta annos ut perduceret sibi proposuit. Itaque Marcus Aurelius cum anno CMXXXI a. u. c. e vita decesserit quis est, qui Herodianum res porro tractaturum esse usque ad Decium i. e. MII a. u. c. non exspectarit? Mire offenderis, cum anno jam CMXCI a. u. c. quo tempore Gordianus tertius imperium suscepit, Herodianum operi finem fecisse repereris. Quum vero oblivionem ejus respexeris temporisque ordinem perturbati, quarum rerum vestigia non raro in Herodiano occurrunt, verum dixeris, si in primo capite libri primi auctorem annos, per quos historiam perducturus sit, in ultimo capite alterius libri annos aetatis suae significasse existimaveris*).

Perspicue saltem ex his Herodianum minimum septuaginta annos natum fuisse cognoscimus, quo vero anno natus, quo mortuus sit, certe inveniri non potest. F. A. Wolfius Herodianum anno CMXXIII a. u. c. genitum esse contendit, ratus duobus annis post Maximini mortem e vita eum exiisse decemque annis ante Marci Aurelii obitum procreatum esse; cui sententiae plus, quam ceteris fidei tribuendum est. Nimio autem acumine Herodiani verba *ἃ δὲ μετὰ τὴν Μάρκου τελευτὴν παρὰ πάντα τὸν ἐμαυτοῦ βίον εἶδόν τι καὶ ἤκουσα .... ταῦτα συνέγραψα* Strothus interpretatur, cum Herodianum ab illo anno, quo prognatus sit, historiam scribere coepisse ex illis verbis non immerito effici putat. Herodianum enim, quia ab anno CMXXXIII a. u. c., quo Marcus Aurelius morbo periit, profectus sit, illo anno na-

*) Herodianus cum dicit lib. I, c. I *μερισθεῖσα γὰρ ἡ Ῥωμαίων ἀρχὴ ἐν ἔτεσιν ἑξήκοντα ἐς πλείους δυναστείας ἢ ὁ χρόνος ἀπῄτει πολλὰ καὶ ποικίλα ἤνεγκε καὶ θαύματος ἄξια*, planum est per quot annos historiam persecuturus sit; hoc idem convenit cum numero annorum, quos exposuit. Neque igitur necessarium est *ἑβδομήκοντα* in *ἑξήκοντα* vertere.

tum esse oportere; ex quibus rebus tempore Decii quoque eum vixisse sequi. Quod quidem, ut mihi videtur, ex illis verbis, si circumspecto judicio legeris concludi non poterit. Imo vero id tempus significatur, a quo Herodianus profectus historiam scripsit, longeque abest, ut simul ortus tempus indicaverit. Nam a quovis alio tempore exorsus literis mandare potuit, quae per totam ejus vitam contigerunt.

§. 2.

Quem locum Herodianus in republica obtinuerit.

Unum certum est, quod Herodianus ipse de se profert, publicis muneribus se functum esse. *Ἐν βασιλικαῖς ἢ δημοσίαις ὑπηρεσίαις* se fuisse quamquam profitetur, tamen de conditione ejus satius non docemur. Non sumus facti certiores, miles an aulicus fuerit, quem locum tenuerit, cui ordini adscriptus sit. Justa profecto causa, ut videtur mihi, Herodianum honore superiorem senatoriumque in ordinem ascitum fuisse, colligere possumus. Etiamsi eum primis in libris permultarum rerum conditionumque gnarissimum esse videmus, in ultima operis parte verbose et diligentissime multa tradit, quae in senatu Maximini imprimis tempore evenerunt. Quod quidem solum nihil necessitatis habet, cur Herodianum senatorem fuisse fingamus. Quid enim? acta senatus scribere Herodiani officium esse vel alio munere fungi potuit, quo astrictus esset, ut disceptationibus senatus interesset? An quid impedivisset, quin acta senatus legeret atque iis uteretur in scribendis libris historiarum. Senator autem quod fuit Herodianus maxime probatur senatusconsulto*), quod ille commemorat, de quo omnes alii, qui senatores non erant, celabantur, quocirca senatusconsultum tacitum vocabatur. Romani enim, cum nuntius allatus esset ambo majores Gordianos esse occisos, populum imprimisque senatum magnus timor invasit, nam imperatoribus amis-

*) De senatusconsulto tacito cf. F. Walther, Gesch. des röm. Rechts, c. XXXII. Jul. Capitolini Gordiani tres, c. 12, p. 95.

sis Maximinia crudelitate nemo erat, qui populum senatumque defenderet. Itaque senatu convocato decretum est, ut ab im minente periculo se suaque tuerentur, duo alii imperatores crearentur, qui potestate divisa, ne unius ferocitate cives cruciarentur, viribus unitis Maximinum delerent. Nulli nisi qui senatores fuerunt, in senatum coacti sunt seclusis etiam iis, quibns, ut mos erat, muneribus quibusdam fungendum erat. Neque etiam eo loco senatus habitus est, ubi solebat, sed in Capitolio. Ibi senatores ex iis, qui et virtute et viribus et auctoritate insignes erant, praestantissimos viros eligebant. Ut solebat in sententiam itum est et quamquam alii suffragiis paucis creati sunt longe plurimis suffragiis Maximus Pupienus et Balbinus vicerunt *).

Siquidem has res diligenter et accurate et uberius relatas respexeris, quid est, cur non sumas Herodianum in illo senatorum conventu fuisse sententiamque ipsum dixisse? **) Id autem si acceperis, Herodianum virum senatorium fuisse necesse est. Acta senatus quidem multi adire potuerunt, Herodianus vero, si, quae de republica in senatu secreto agerentur, illo ipso tempore scivit, ubi senatus pro illis temporibus, ne quae egisset in vulgus diffunderentur, impedire voluit, cum milites plebi senatuique infensi essent, feroxque imperator Maximinus in populum primoresque civitatis instigatus esset, sane non fallimur Herodianum ista in senatu senatorem ipsum audivisse existimantes. In illo enim tempore, ubi multis seditionibus factis, externus timor suspectos infensosque animos in tempus tum inter se jungebat, tum dirimebat, ubi discordia inter senatum et plebem orta est, ubi milites tum cum senatu,

*) Herodian. lib. VII, c. 10, §. 2. 3.

**) F. A. Wolfius praef. XXXV qua in re, ait, etsi temerarium puto cum affirmitate loqui, tamen ut Creverio parum tribuo, qui ideo leviora munera fuisse opinatur, quod non singulatim de iis scripserit (quippe non idem Herodiani ingenio convenit et Dionis dignitatem suam senatoriam intolerantius jactantis), ita rursus suspicor, quidvis illum potius quam vel senatorem vel jure concultum vel militem fuisse.

tum cum plebe, tum cum Maximino imperatore faciebant, senatores, ne in summum periculum inciderent, quae egerant, celasse perspicuum est. Quae acta senatus illo jam tempore, quo Herodianus scripsit, a senatoribus timore compulsis deleta esse verisimile est. Neque enim Capitolinus (vita Maximin II) haec acta reperit, ex quibus haurire potuit, cum fere eadem tantum memoriae tradiderit, quae Herodianus. Quod quidem rationem affert illi sententiae, Herodianum illa ab senatoribus compressa divulgare potuisse, quod senator fuit. Ceterum Dione scriptoribusque historiae Augustae collatis Herodianum de iis, quae in senatu evenerunt, non modo non certiorem factum esse, sed etiam ea vere tradidisse constat. Nihil est, quod quis contra dicat, illo tempore Herodianum senatorem esse nequivisse, quia non Romanus civis fuerit, nam ab Cassio Dione accepimus Caracallo imperatore civitatem omnibus delatam esse, qui sub imperio Romano versabantur *).

§. 3.

De Herodiani patria.

Herodianus natione fortasse certe ingenio Graecus fuit, quod et ex nomine et lingua, qua in scribendo usus est, et ex eo, quod Romanis Graeca opponit, facile cognoscitur. Graeciam vero patriam Herodiani fuisse nulla vestigia in ejus opere exstant. Nusquam enim, quamvis saepissime occasio data esset, Graeciam ipsam commemoravit **). Meminit quidem a veteribus Graecis praeclare quondam gestarum rerum, ubi de discordia Graecorum oppidorum in Asia minore sitorum disserit, quae bellis civilibus a Nigro et Severo excitis perturbaban-

*) Herodianus (lib. VII, c. 11) Gallicanum senatorem ex Africa oriundum, consularem virum commemorat. Ab Cassio Dione audivimus, Augustum imperatorem decrevisse, ne quis Aegyptius in senatum cooptaretur. Caracallus vero hanc legem abolevit et Severo imperatore primus ex Aegyptiis in senatorum numerum receptus est. Dio 76, c. 5. Cf. Becker, Alterthümer II, 3. 217 sq.

**) Herodian. lib. III, c. 2, §. 7.

tur; sed Graeciam propriam negligit. Multo minus Syriam Herodiani patriam fuisse contendes, cum videris, quantopere regionum, terrarum, oppidorum illorum inscius fuerit. Multo vero praestantior est in rebus Aegyptiacis praecipue Alexandrinis explanandis; multis disertisque verbis mores, instituta, loca Alexandrinorum designat, non dubium, quin, quae scripsit, ipse viderit: Locos gravissimos, quibus de moribus Syrorum Aegyptiorumque disseritur, si inter se comparaveris, diversum tractandi genus dilucide perspexeris (cf. lib. III, c. 11, §. 8; lib. II, c. 10, §. 7; lib. IV, c. 8, §. 119). Magna est differentia inter illam narrandi rationem, qua in Syrorum explicandis moribus usus est et inter curam et diligentiam, quam exhibet in illis perscribendis rebus, quae factae sunt, cum Antoninus Caracallus Alexandriam intraret. Totum quidem iter a Caracallo per Asiam minorem factum latius ac fusius persequitur, sed nusquam tantopere rerum singularum exponendarum voluptati indulget, nusquam in rebus copiose narrandis tamdiu haeret, quam in iis enumerandis, quae cum Caracallus ab Alexandrinis exciperetur, Alexandriae acciderunt. Praeterea si industriam studiumque et rerum Alexandrinarum explicandarum et locorum illius urbis accuratam diligentiam respexeris, quae minime tanti momenti sunt, quanti multa alia ab Herodiano omissa, quis sit, ut ita dicam, frontis tam perfrictae, qui illo quidem tempore Herodianum Alexandriae non moratum esse contendat? Deinde etsi quis non immerito Herodianum ex urbe Alexandria ortum esse opinatur nullis tamen rebus hoc probatur**); itemque quamdiu Alexandriae manserit, temerarium puto quaerere.

*) De ingenio moribusque aliarum gentium, ut Germanorum et Parthorum, Herodianus pluribus verbis disserit. Nonnulla occasione data affert de Germanis, lib. I, c. 3, §. 5; c. 6, §. 9. IV, c. 7, §. 3; 13, §. 6. VI, c. 7, §. 2, §. 8, §. 9. VII, c. 2, §. 1, §. 4, §. 6 de Parthis vel Persis lib. I, c. 15, §. 2, §. 5. III, c. 4, §. 8. III, c. 1, §. 2. IV, c. 10, §. 3. IV, c. 11, §. 6. IV, c. 14, §. 7; c. 15, §. 3. VI, c. 5, §. 3. 4; c. 7, §. 8; §. 11. VII, c. 2, §. 2.

*) Incertum igitur est, quod contenditur in: Nouvelle biogr. générale s. v. Hérodien Alexandriae Herodianum natum esse.

Quamquam non habemus, ex quo effici possit, Herodianum Romae vixisse; etsi nusquam in libris ab eo traditum Romae eum versatum esse repereris, neque tamen dubium est, quin aliquantum temporis imprimisque sub vitae finem Romae versatus sit. Herodianus cum, quae Commodo aliisque imperatoribus Romae evenerint, multa omiserit ideoque ejus narrationes ex illis, quae Cassius Dio ac scriptores historiae Augustae retulerunt, explendae sint, inde a Caracallo tam verbose ac diligenter etiam ea, quae Romae acciderint explanat, ut frustra quaesiveris res praecipuas in Dione et scriptoribus historiae Augustae, quas Herodianus memoriae non tradiderit. Majore animo ubertate ac studio et ingenti eloquentia res gestas narrat, quae Romae evenerunt, itaque quia retulit, quae is solus referre potuit, qui Romae erat, apertum est Herodianum Romanis rebus ipsum interfuisse praesentemque, quae acciderint, vidisse et scripsisse. Quando vero Romam venerit, nequaquam pro certo affirmari potest.

§. 4.

De titulo librorum et argumento.

Libris historiarum ab Herodiano scriptis titulus hic praescribitur: *Ἡρωδιάνου τῆς μετὰ Μάρκου βασιλείας βιβλία ὀκτὼ ἱστοριῶν*. Nonnullae sunt editiones, quae *ἱστοριῶν* vocabulum omiserunt. Verum cum in plerisque codicibus manuscriptis *ἱστοριῶν* verbum reperitur, num quid causae est, cur *ἱστοριῶν* deleamus? F. A. Wolfius quoque putat ab Herodiano illud verbum additum, sed dicit „minus id praestare se audere de verbis *τῆς μετὰ Μάρκου βασιλείας*. Quae opinio quum non addiderit vir doctissimus unde, sibi orta sit, eum putasse conjici liceat a posterioribus illa verba ex textu *ἃ δὲ μετὰ τὴν Μάρκου τελευτὴν* .... ducta esse. Sed in his verbis traditis omnium codicum consensus est atque J. Becker illum, quem supra diximus, titulum integrum servavit.

Via, ratio, genus scriptionis maximam partem ex librorum dispositione ac divisione apparet. In octo libros totum opus ita divisum est, ut primus liber a Commodo res gestas contineat, liber secundus Pertinacis et Juliani historiam complectatur, tertius Septimii Severi, quartus Caracalli, quintus Macrini atque Elagabali, sextus Alexandri Severi, septimus octavusque Maximini Gordianorum primi et alterius Pupieni et Balbini. Summa singulorum librorum imperator unus est, omnia astricte ad illum referuntur, ut non paucae res insignes negligantur, ideo quod ad imperatorem depingendum nihil conferre valent.

§. 5.

De tempore, quo libri scripti sint.

Quando opus Herodianus conscripserit ex iis locis, quos in aetate ejus examinanda contulimus, perspicitur. Primo in capite primi libri*), ut historiam per sexaginta annos persequeretur, sibi se proposuisse profitetur, secundo in capite ab excessu Marci Aurelii profecturum esse indicat. Opere vero anno CMXCI a. u. c. finito, si diligenter quaeras LIX annos in historia scribenda persecutus est. Herodianum autem ante annum CMXC a. u. c. operis singulas partes non confecisse, sed uno eodemque tempore continuo omnes libros scripsisse oportet; nam quae initio libri primi narrare instituit, ut annorum sexaginta historiam scriberet, perfecit. Quamdiu vero post annum CMXC a. u. c. libros octo scripserit, certis verbis Herodianus ipse non dixit. Quamquam Herodianus re vera LIX annorum historiam ob oculos ponit, tamen de sexaginta annis loquitur. Id quidem manifestum est, nisi non imparem numerum eum significasse sumpseris, Herodianum ab anno CMXXXIII a. u. c. ad eum, quo scripserit, annum numerasse, itaque planum est, libros anno CMXCCII a. u. c. vel ultimo anno CMXCI a. u. c. scriptos esse. Ceterum opus

*) Herod. Lib. I. c. 1. 2. §. 5. lib. II. c. 15. §. 7.

uno et perpetuo tenore intervallo non interjecto confectum esse ex dictione, quae per omnes libros una eademque est, cognoscitur.

§. 6.

De consilio caussisque operis.

Praeclara atque jucunda verba primis versibus de operis consilio et caussis facit. Videamus nunc accuratius. Nam ut sciamus, quae quantaque Herodiano fides habenda sit, maxime necessarium est intelligere, qua re motus in historiae studia incubuerit quantumque voluerit. Neque profecto imperatore quodam adhortante, neque somnio *) quodam monente neque spe adductus, fore ut saepe et a multis legeretur et laudaretur, temporis sui historiam scribere suscepit, neque ita quidem ut traderet quaecunque per totum imperium insignia facta sunt, sed quae ipse vidit locupletibusque testibus probare potuit. Primis jam verbis movemur, ut auctorem vera memoriae tradidisse confidamus. Plane enim opinionem rejicit, se, ut plerique fecerint, qui ad historiae studium se contulerunt, laudem doctrinae summae petivisse, nec odio nec studio tyrannorum permotum res veras se falso traditurum nec parvas res oratione magnas redditurum esse; contendit se non eventus casusque memoriae prodere, quos bona fide ab aliis acceperit, sed qui in aequalium memoria tunc haeserint. Et profecto Herodianus fide non mutata promissum solvit? Severe imperatorum vitia vituperat neque tamen modum aequi judicii excedit, quare, ut rebus ab illo traditis fidem multo majorem tribuamus, compellimur. Deinde Herodianus cum aequales, qui ipsi viderint, quae libris mandarit, se vere res memoriae prodidisse testetur, augetur illius fides; nam ni sibi persuasum habuisset, verissime se quantum potuit narrasse, vir improbissimus fuisset.

*) Herodiani aequalis Cassius Dio se somnio quodam et Severi admonitione adductum esse, ut historiam Romanam scriberet, professus est. Lib. 72 s. f.

Et quo consilio Herodianus historiam suae aetatis scribere instituit, exigit ex nobis et cogit nos, ut fidem historiae in eo magni ducamus Discrimine enim et periculis sui temporis adductus est, ut historiam perscriberet annisque sexaginta post M. Aurelii mortem rerum gestarum memoriae consuleret; quantum vero intra illos annos res actae ad imperii Romani statum conferrent optime intellexit et inde consilium illius temporis historiae scribendae cepit. Lege, quae ipse de hac re loquitur. Lib. I. c. I. §. 4—6. *Εἰ γοῦν τις παραβάλοι πάντα τὸν ἀπὸ τοῦ Σεβαστοῦ χρόνον, ἐξ οὗπερ ἡ Ῥωμαίων δυναστεία μετέπεσεν ἐς μοναρχίαν, οὐκ ἂν εὕροι ἐν ἔτεσι περί που διακοσίοις μέχρι τῶν Μάρκου καιρῶν οὔτε βασιλειῶν οὕτως ἐπαλλήλους διαδοχάς, οὔτε πολέμων ἐμφυλίων τε καὶ ξένων τύχας ποικίλας, ἐθνῶν τε κινήσεις καὶ πόλεων ἁλώσεις τῶν τε ἐν τῇ ἡμεδαπῇ καὶ ἐν πολλοῖς βαρβάροις, γῆς τε σεισμοὺς καί ἀέρων φθόρας, τυράννων τε καὶ βασιλέων βίους παραδόξους, πρότερον ἢ σπανίως ἢ μεδ' ὅλως μνημονευθέντας ὧν οἳ μὲν ἐπιμηνέστερον ἔσχον τὴν ἀρχήν, οἳ δὲ προσκαιρον τὴν δυναστείαν, εἰσὶ δ' οἳ μέχρι προσηγορίας καὶ τιμῆς ἐφημέρου μόνης ἐλθόντες εὐθέως κατελύθησαν. μερισθεῖσα γὰρ ἡ Ῥωμαίων ἀρχή ἐν ἔτεσιν ἑξήκοντα ἐς πλείους δυναστεία, ἢ ὁ χρόνος ἀπήτει πολλὰ καὶ ποικίλα ἤνεγκε καὶ θαύματος ἄξια.*

His quidem verbis Herodianus in universum discrimen et periculum, in quod illo tempore imperium Romanum adductum est, significat. Nullam aliam causam nec studium partium nec admonitionem aliorum desiderabat, ut, quae ad scribendam sui temporis historiam quaque cura collegerat, literis mandaret. Susceptum quam bene evenerit et comparatio cum Dione facta ostendit, et ex eo manifesto apparet, quod posteriores rerum ab imperatoribus gestarum scriptores aliis ejusdem temporis auctoribus postpositis Herodiani libris plurimum usi sunt. Imo vero extrema pars operis maximam partem in vitas a scriptoribus historiae Augustae descriptas transiit. Quem admodum ea, quae Herodianus memoriae tradiderit, per scriptores historiae

Augustae in posteriores auctores vel Latinos vel Graecos propagata sint, alias exponam.

§ 7.

De librorum fontibus.

Etsi praeter Dionem Herodianumque et Graeci et Romani illius temporis historiam scripserunt, quorum nullus liber integer nostrum saeculum vidit, Herodianus ex iis neminem nominat *). Duobus quidem locis (lib. II. c. 15. lib. III. c. 7) viros commemorat, qui res a Septimio Severo gestas scripserunt, judiciumque eorum scriptis adhibet, quo modo autem usus sit iis, non indicat. Historiae Augustae ex scriptoribus illo tempore auctores praecipuos Dexippum, Marium Maximum, Aelium Cordum fuisse accepimus, quorum libri perierunt. Herodianus etiamsi eas res, quas ipsum se vidisse dicit, posteritati tradidit, non tamen sic eas enarrat, ut memoriam earum forte retinuerat, sed certis testimoniis omnia prabat. Dicit enim *ἐγὼ δ' ἱστορίαν .... μετὰ πάσης ἀκριβείας ἤθροισα εἰς συγγραφήν.* Fontium, ex quibus res hausit, genus quoddam, acta senatus esse videntur. Quibus quidem non ita usus est, ut res ad verbum ex illis transcribat, id quod Dionis est non nunquam, saepius scriptorum historiae Augustae, sed oratione ornata et composita illorum argumentum fusius explanat. Orationes, quae cum Dionis vel scriptorum historiae Augustae adverbum conveniant, etsi fere nullae reperiantur, lineamenta earum maxime insignia et apud nostrum scriptorem et apud illos eadem sunt **). Epistolis quibusdam exceptis, quae, quum in senatu recitatae essent, auctori nostro non ignotae erant, nullum aliud genus fontium in Herodiano agnoveris. Per literas enim, quas dicimus privatas, certiorem

*) cf. Dirksen: Die scriptores historiae Augustae. Lpz. 1842. Part. I. c. I.

**) cf. Jul. Capitolin. vit. Maximin. II. c. 18. Opil. Maczin. c. 6. Gordian. III. c. 14. Herod. VII. c. 8. VI. c. 1. VII. c. 8.

eum factum esse de rebus, quae aliis imperii Romani locis evenerint: huic rei testimonia desunt.

§. 8.

De operis virtutibus ac vitiis.

Lectio*) Herodiani jucundissima est rerum copia, arte dicendi, brevitate, orationibus saepenumero narrationi insertis, simplici quadam et sincera eloquentia; res, quas narrare sibi proposuit, plane perspectas habet modumque optime tenet, quibus omnibus rebus Dionem aequalem suum superat. Hic enim, quum simili materiae dispositione, simili dicendi arte nequaquam usus sit, rerum copia turbatur atque obruitur. Herodianus varietate, affectuum et personarum descriptionibus admirationem facit; densus et brevis semperque sibi constans paucis verbis narrat, quae refert significanter exponit. Contra Dio et in personarum et in rerum explicatione modum longe excedit, ita ut saepe in parvis rebus haereat, et lepida festivaque latius quam par est, narret quod et verbositatis et minutiarum studium lectoribus taedium affert. Herodianus vero, quaecunque tradit, astricta ad imperatoris personam refert tantaque in eo alacritas et ars dicendi est, ut octo historiarum libros similes putare octo fabulis non dubitem, quarum primas partes imperatores agunt. Qui cum semper primo loco ponantur, saepe fit, id quod dudum reprehensum est, ut non paucas res, quae minime parvi momenti sunt, omittat. Qua re, quae libris suis mandavit ex aliis scriptoribus explenda sunt. Papianum, ut exempla afferam, Paullum, Ulpianum juris peritissimos Ovinium, Camillum, Antoninum (Sulpicium), Uranium (Antoninum), imperatores a militibus appellatos, res Christianas silentio praeteriit, Marci Aurelii liberorum**), conjugum-

*) cf. H. Ulrici, Charakteristik der antiken Historiographie. Berlin 1833. Praefat. ad Herod. Wolfii pag. XXXIX sq. LII. sq.

**) Duo Marci Aurelii imperatoris filios, Commodum et Verum Herodianus lib. I. c. 2. §. 1. commemorat. Commodi autem fratrem

que Elagabali non omnium mentionem *) fecit. Quas res omisit, quod illorum hominum res gestae, eventus, casus, nihil ad totius operis consilium pertinent. Ceterum bene tenendum est, Herodianum, quum maxime aequalibus historiam sui temporis scribere in animo habuerit multa, quia tum omnibus nota erant, leviter attigisse eas tantum afferens res, quae magnae visae sunt, quaeque imaginem ejus temporis, quod descripturus est, effingere possunt. Quare non est cur reprehendatur auctor noster; neque enim id sibi proposuerat, ut quae per totum imperium Romanum memoratu digna accidissent, memoriae traderet, sed vitis imperatorum conscribendis, ut illis temporibus et antea et postea mos erat, memoriam rerum gestarum servaret; quod quidem consiliam optime exsecutus est. Praeterea animus ejus ab omni partium studio alienus dignus est, qui laudetur, nusquam ad potentiorum adulationem servilem et humilem se abjicit, semper ex vero, quae laudanda sunt celebrat. Si igitur de viris quibusdam aliter judicat noster atque Cassius Dio, plerumque Dionem ira et studio a vero deductum esse repereris **).

Rerum civilium vel militarium rudem Herodianum fuisse falso contenderis, sed quemadmodum verba in senatu, in concione facta, orationis exornandae studio mutavit, sic, quae de

geminum Antoninum, qui jam puer quatuor annorum mortuus est, silentio praeterit. Qua ex re Herodianum Marci Aurelii filios ignorasse effici non potest, cum Antonini admodum pueri vita parum ad res a Commodo gestas describendas conferat.

*) Elagabalum tres uxores duxisse Herodianus refert, quarum nullam nominat. Dio autem eum quinque uxores nuptiis sibi adjunxisse ultimamque recepisse, quam ante repudiaverat, dicit. Dio quoque duarum uxorum nomina edit Juliae Aquiliae Severae, virginis Vestalis, Anniaeque Faustinae, quam ab Commodo originem duxisse Herodianus profert. Ex nummis denique tertiae uxoris nomen Juliae Corneliae Paulae cogniscimus; cf. Eckhel. Vol. VII. pag. 258.

**) Quanto favore studioque Dio fuerit, ex judicio intelligas iniquo, quod de Advento facit, qui ante Macrinum a militibus imperator appellatus est. cf. Dio lib. 78. c. 14. Herod. IV. 14.

rebus vel civilibus vel militaribus refert, nitidioribus et compositioribus verbis reddit. Multo secus Cassius Dio historiam scripsit, ea dicendi ratione utens, qua miles vel magistratus. Caveas autem, ne ex hoc dicendi genere efficias Herodianum nec magistratum nec militem fuisse; immo potius ex optima omnium rerum scientia apparebit, id quod Wolfius jam suspicatus est: „quidvis illum potius quam vel senatorem vel jure peritum vel militem fuisse."

Virtutes autem Herodiani quamvis sint magnae, ab omnibus tamen vitiis libri ejus nequaquam vacui sunt. Quorum magna pars, quin ex summa auctoris aetate profecta sit non dubitetur. Ut taceam temporis et annorum ordinem ab eo saepe turbari, multa nobis occurrunt, quae vitiosa ex oblivione scriptoris manabant. Cujus rei insigne exemplum hoc est. Lib. VII. c 8. c. 9. Quum enim bellum, ab Alexandro Severo ad Rhenum contra Germanos gestum, pluribus exponat, milites ut facilius Rhenum trajicerent, navibus junctis pontem in flumine fecisse refert. Tum quomodo Alexander Severus occisus Maximinusque imperator factus sit, insequentibus capitibus explanat. Deinde Maximinum bello iterum in Germanos suscepto, denuo pontem in Rheno fecisse tradit; quam rem antea jam a se esse commemoratam sine dubio auctor oblitus erat. Nec minorem in vituperationem Herodianus noster cadit, quod nimia dicendi brevitate saepius obscurus fit. Id maxime eo loco probatur, ubi quanta indulgentia Macrinus Juliam Domnam tractaverit, narrat *); *Ὁ δὲ Μακρῖνος,* ait, *πυρὶ παραδοὺς τὸ (τοῦ Ἀντωνίνου) σωμάτιον, τήν τε κόνιν κάλπῃ τινὶ ἐμβαλών, ἔπεμψε τῇ μητρὶ αὐτοῦ καταθάψαι ἐν Ἀντιοχείᾳ διατριβούσῃ. ἐκείνη δὲ ἐπὶ ταῖς τῶν παίδων ὁμοίαις συμφοραῖς εἴτε ἑκοῦσα εἴτε κελευσθεῖσα ἀπεκαρτέρησε. Τοιούτῳ μὲν δὴ τέλει ἐχρήσατο ὁ Ἀντωνῖνος καὶ ἡ μήτηρ Ἰουλία, βιώσαντες ὡς προείρηται. πᾶς δὲ ὁ χρόνος ἐν ᾧ μόνος ἐβασίλευσεν ἄνευ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ἀδελφοῦ, ἐν ἓξ ἔτεσι συνετελέσθη.* His

*) Herodian. lib. IV. c. 13.

paucis de ea re Herodianus, Cassius Dio latius disserit obscurisque rebus lucem affert*). ἡ δὲ Ἰουλία ἡ τοῦ Ταραύτου μήτηρ ἔτυχε μὲν ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ οὖσα, καὶ οὕτω παραχρῆμα, ἅμα τῇ πύστει τοῦ θανάτου αὐτοῦ, διετέθη ὥστε καὶ πλήξασθαι ἰσχυρῶς καὶ ἀποκαρτερῆσαι ἐπιχειρῆσαι. ὅν γὰρ ζῶντα καὶ ἐμίσει, τελευτήσαντα τότε ἐπένθει, οὐχ ὅτι ἐπόθει αὐτὴ ἢ ἐκεῖνον ζῆν ἤθελεν, ἀλλ' ὅτι αὐτὴ ἰδιωτεύουσα ἤχθετο. καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὸν Μακρῖνον πολλὰ καὶ δεινὰ ἐλοιδόρησεν. ἔπειθ' ὡς οὔτε που τῆς βασιλικῆς θεραπείας τι καὶ τῆς τῶν δορυφόρων περὶ αὐτῇ φρουρᾶς ἠλλοιώθη, καὶ ἐκεῖνος χρηστά τινα αὐτῇ, τὰ λεχθέντα ὑπ' αὐτῆς οὔπω ἀκηκοώς, ἐπέστειλε, θαρσήσασα τὴν τοῦ θανάτου ἐπιθυμίαν κατέθετο, καὶ μηδὲν αὐτῷ ἀντιγράψασα ἔπραττέ τι καὶ ἐς τοὺς συνόντας αὐτῇ στρατιώτας... ὅπως αὐταρχίαν διώκῃ.... ἐκεῖνός τε ἀπιέναι ὅτι τάχιστα ἐκ τῆς Ἀντιοχείας αὐτὴν, ὅποι βούλοιτο, ἐκέλευσεν· καὶ ἐπεὶ τὰ ἐν τῇ Ῥώμῃ περὶ τοῦ υἱέος αὐτῆς λεχθέντα ἤκουσεν, οὐκέτ' ἐφιλοψύχησεν, ἀλλ' ἤδη τρόπον τινὰ καὶ ὑπὸ τοῦ καρκίνου, ὃν ἐν τῷ μαστῷ ἐκ πάνυ πολλοῦ χρόνου ἡσυχάζον τά πως ἔχουσα τότε ἠρέθισεν ἐκ τῆς πληγῆς ἣν ἐπὶ τῷ τοῦ παιδὸς θανάτῳ κοψαμένη κατὰ τῶν στέρνων ἐπέπληκτο, συναιρουμένη προσδιέφθειρεν ἑαυτὴν ἀποκαρτερήσασα.

Haud immerito Herodianus vituperationem non effugit, quod omnino ordinem temporis non servaverit; tempore enim annisque neglectis ordo ipse rerum perturbatur. Falsum est, cujus rei nummi quoque testes sunt, Severum expeditionem in Osrhoënos Adiabenosque susceptam ad id tempus, quo Albini exercitum prostraverit, distulisse. In errore versatur cum Parthorum regem pro Arsace Artabanum (XVIII Vologese) nominet, cum Caracallum Gaetamque ante annum CMLI a. u. c. Augusti nomen accepisse prodat; nec minus Macrinum annum unum imperatorem fuisse male dicit; Diadu-

*) Cass. Dio. lib. LXXVIII. c. 23.

menianum brevi tempore ante obitum Augustum appellatum esse nescit. Optime vero, quam in temporum descriptionibus infidus sit, ex eo intelligas loco, ubi de Severi expeditione in Persas suscepta narrat. Primum incursum ab Artaxerxe factum esse in Mesopotamiam, cum Alexander tredecim annos imperator appellatus esset, memoriae tradit. Severum igitur, si Herodianum sequeremur, quum annos tredecim Romano imperio praeesset, quo anno occisus esset, iter in Asiam fecisse statuere deberemus! (cf. Herod. lib. VI. c. 2)

In notitia geographica Herodianum multum peccasse jam Tillemontius animadvertit; verum errores illos non ad omnes imperii Romani partes pertinere facile reperies. Magna Herodiani inscientia est earum regionum urbiumque, quae trans Hellespontum in Asia orientali Syriaque sitae sunt; multo autem minus recte judicaris, si in Europa Africaque, quantum de locis harum terrae partium loquitur, eodem modo errasse, eum acceperis. Brevitate enim dicendi, improprietateque verborum non raro factum est, ut in his geographiae partibus inscientiae immerito argueretur. F. A. Wolfius (pag. LIII.) Omitto, ait, miram narrationem VI, 7 ubi Illyricos milites Severi Alexandri caesam a Germanis domi familiam suam questos scribit, quum paullo ante illis modo periculum a Germanis esse memorasset: nam haec interpretando conciliare licebit. Sed quale illud est, quum statim ita pergit, quasi Alexandro, ex Oriente profecto ad Germanorum bellum Rhenus non Danubius trajiciendus fuerit. Mox in eodem capite descriptionem gelu duratorum fluminum injicit satis ineptam.“ Haec quidem verba, quae Wolfius contra Herodianum dicit, facile possunt refelli. Ex Illyria enim nuntius ad Severum Antiochiae morantem allatus erat, Germanos trans Rhenum Danubiumque in Romanos fines haud parvis copiis irruisse. Severus autem cum milites ex Illyria ad debellandos Persas in Asiam secum duxisset, Germani nullo resistente late terram vastaverunt. Milites Illyrici hoc nuntio seditiosi facti Severi ignaviam atque desidiam increpuerunt; quo facto imperator in Germanos proficisci constituit. Hanc quidem expeditionem Herodianus leviter

attingit, scriptores vero historiae Augustae Severum primum Romam inde ad Rhenum profectum esse fusius narrant. Quod quum Herodianus praetereat recta via imperator ab Asia Maguntiacum iter fecisse videtur; sin autem quae scriptores historiae Augustae retulerunt, respexeris, in Wolfii verbis verum inesse non contendes. Ceterum Wolfius graviter offenditur, quod Rheni flumen gelu ita duratum fuisse, ut milites facile trajici potuerint, Herodianus noster narret. Mirum sane. Nam prioribus jam temporibus et Romanos et Germanos hieme Danubium trajecisse a locupletibus testibus memoriae traditum est. Praeterea jam glaciei fragmenta, quae quoque anno ex superficie aqua soluta fluminis impetu ad mare proluuntur, Rhenum hiemis tempore glacie induci nobis ostendunt.

Deinde cum Herodianus reprehendatur, quod Hemam Italiae oppidum appellarit minus recte judicatur. Ex imperii enim Romani divisione, quam Augustus fecit Hema et Cranium sive Carnium, quae oppida ad viam ab Aquileja in Pannoniam ferentem sita sunt, in oppidorum Venetiae numero referuntur. Nec minus errat, qui ex eo loco, quo Herodianus multis de capitibus loquitur, quibus Nilus prope Alexandrium in mare influat, nesciisse eum concludere velit, Nilum non ipsum Alexandriam praeterfluxisse, sed fossam quosdam ex flumine illo ductam. Sane quidem concedimus, parum diligenter Herodianum de hac re dixisse. Eadem negligentia vitio ei vertenda est; quod Pannoniam cum Paeonia (quae regio Thraciae est) confundit.

Quamquam igitur nobis confitendum est, Herodianum et Europae et Africae urbes regionesque bene cognitas habere, Asiae tamen partes plane ignorat, velut Issum pro Arbelis III, 4 ponit. Maximam vero inscientiam ostendit in libro III, c. 9, ubi Arabiam, quae Mesopotamiae regio quaedam fuit, ubi Atra sita sunt, cum Arabia felici confundit; qua re ductus falso mireque tradidit Alexandrum Severum in Arabiam felicem invasisse multa quae oppida cepisse. Atrisque frustra oppugnatis exercituque in naves imposito ad Parthicam oram delatum prope Ctesiphontem e navibus milites exposuisse. Falsum est, quod dicit de situ provinciae Asiae III, 2. Clade accepta enim apud

Cyzicum Albini milites diffugientes et montes Armeniae et Galatiam et Asiam petiisse dicit. Quum autem Severus ex Thracia profectus oras maritimas Mysiam, Lydiam et Phrygiam cepisset, victi in has partes Asiae effugere nequiverunt; provincia autem Asia in parte ad occidentem solem vergente Asiae sita est*). Denique Herodianus errat cum Emesam Phoeniciae oppidum esse dicat.

§. 9.

Herodiani scriptis quemadmodum alii auctores paulo multove posteriores usi sint.

Ante omnia annotandum est, me in comparandis inter se et cum Herodiano scriptoribus id tantum temporis spatium persecutum esse, quod Herodiani historiae complectuntur i. e. annos sexaginta Marci Aurelii post mortem. Latini historici, quos contuli inter se ac cum Herodiano sunt: Scriptores historiae Augustae tres Jul. Capitolinus, Ael. Spartianus, Aelius Lampridius, Graeci sunt Cassius Dio Herodiani aequalis**), Zonaras. Ex quibus neque Dionem, qui iisdem fere annis, atque Herodianus, vixit, libris Herodiani, neque Herodianum Dionis libris usos esse, ex alterius comparatione cum altero facta, manifestum erit. Neque quemquam antea id negasse scio. Maxime certe dolendum est, quod Dionis libri non integri ad nos pervenerunt; sed quae Xiphilinus ex Dionis opere, quo historia temporum inde a Marco Aurelio ad Alexandrum Severum continetur, elegit, ea propemodo nostrum saeculum viderunt.

Latinorum scriptorum historiae Augustae auctores Herodiani temporibus proximi sunt. Plures cum ab imperatoribus res gestas scripserint, omnes vero non ex iisdem fontibus hauserint, de scriptoribus historiae Augustae judicanti inter singulos auctores, inter singulas ab iis imperatorum vitas depictas

*) De finibus provinciae Asiae illo tempore cf. Sickler, Handbuch der alten Geographie. Kassel 1832, vol. II, p. 301 sq.

**) Quomodo scriptores historiae Augustae Dionis libris usi sint, annotationes Salmasii Casaubonique ad script. histor. Aug. docent.

valde distinguendum est. Quod quidem ad nostros conferendos annos, ad nostros comparandos auctores pertinet, Lampridius et Spartianus, quamvis maximam partem ab Herodiano relatis usi sint, plus ex Dionis opere hauserunt, contra Capitolinus multo magis ab Herodiano res duxit, tantopere, ut non pauca plane e Graeco in Latinum sermonem tralata videantur.

Herodian lib. VII. c. I. §. 4—7.

ἔτι δὲ καὶ μᾶλλον αὐτὸν ἐς ὠμότητα καὶ τὴν πρὸς ἅπαντας ὀργὴν προυκαλέσατο συνωμοσία τις διαβληθεῖσα κατ᾽ αὐτοῦ συγκροτουμένη, πολλῶν τε ἑκατοντάρχων συμπνεόντων καὶ τῶν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἁπάτων. Μάγνος τις ὄνομα ἦν τῶν εὐπατριδῶν τε καὶ ὑπατευκότων οὗτος διεβλήθη συνάγειν κατ᾽ αὐτοῦ χεῖρα, καὶ στρατιώτας τινὰς πείθειν ἐς αὐτὸν τὴν ἀρχὴν μετάγειν. ἡ δὲ συσκευὴ τοιαύτη τις ἐλέγετο ἔσεσθαι γεφυρώσας τὸν ποταμὸν ὁ Μαξιμῖνοσ ἔμελλεν ἐπὶ Γερμανοὺς διαβήσεσθαι· ἅμα τῷ τὴν ἀρχὴν παραλαβεῖν εὐθέως πολεμικῶν ἔργων ἤρξατο, καὶ διὰ σώματος μέγεθοσ καὶ ἰσχὺν στρατιωτικὴν καὶ ἐμπειρίαν πολεμικὴν δοκῶν ἐπιλελέχθαι ἔργοις τὴν δόξαν καὶ τὴν τῶν στρατιωτῶν ὑπόληψιν ἐπιστοῦτο τήν τε Ἀλεξάνδρου μέλλησιν καὶ τὴν πρὸς τὰ

Maximin II. vit. Julii Capitolini c. 10.

Quum esset ita moratus (Maximinus) ut ferarum more viveret, tristior et immanior factus est factione Magni cujusdam consularis viri contra separata, qui cum multis militibus et centurionibus ad eum confodiendum consilium inierat, quum in se imperium transferre cuperet. Et genus factionis fuit tale. Quum ponte juncto in Germanos transire Maximinus vellet, placuerat, ut contrarii cum eo transirent pons postea solveretur, ille in barbarico solo circumventus occideretur, imperium Magnus arriperet. Nam omnia coeperat agere et quidem fortissime statim ut factus imperator peritus utpote rei militaris volens existimationem de se habitam tenere, et ante omnes Alexandri gloriam, quem ipse occiderat, vincere. Quare imperator etiam in exercitio quotidie milites detinebat. Eratque in armis ipse magnus exer-

πολεμικὰ ἔργα δειλίαν ἐλέγχειν ἐπειρᾶτο εἰκότως κατεγνωσμένην. ἀσκῶν τε οὖν καὶ γυμνάζων τοὺς στρατιώτας οὐ διέλειπεν αὐτός τε ἐν ὅπλοις ὢν καὶ τὸν στρατὸν παρορμῶν.

§. 8: ἡ μὲν τῆς ἐπιβουλῆς φήμη τοιαύτη ἐγένετο εἴτε ἀληθὴς ὑπάρξασα εἴτε ὑπὸ τοῦ Μαξιμίνου συσκευασθεῖσα ἀκριβὲς δὲ εἰπεῖν οὐ ῥᾴδιον, ἐπεὶ ἔμεινεν ἀνεξέλεγκτος μήτε γὰρ κρίσεώς τινι μεταδοὺς μήτε ἀπολογίας, πάντας οὓς ὑπώπτευεν αἰφνιδίωσ συναρπασθέντας ἀφειδῶσ ἐφόνευσεν.

§. 9: ἐγένετο δέ τις καὶ Ὀσροηνῶν τοξοτῶν ἀπόστασις, οἳ πάνυ ἀλγοῦντες ἐπὶ τῇ Ἀλεξάνδρου τελευτῇ περιτυχόντες τῶν ἀπὸ ὑπατείας καὶ φίλων Ἀλεξάνδρου τινὶ (Κυαρτῖνος δὲ ἦν ὄνομα, ὃν Μαξῖμῖνος ἐκπέμψας ἦν τοῦ στρατιοῦ) ἁρπάσαντες ἄκοντα καὶ οὐδὲν προειδότα στρατηγὸν ἑαυτῶν κατέστησαν, πόρφύρα τε καὶ πυρὶ προπομπεύοντι, ὀλεθρίοις τιμαῖς, ἐκόσμησαν, ἐπὶ τε τὴν αρχὴν ἦγον οὔ τι βουλόμενον. ἐκεῖνος μὲν οὖν

citio et corpora multa semper ostendens, et istum quidem factionem Maximinus ipse finxisse perhibetur; ut materiam crudelitatis augeret. Denique sine judicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes interemit, omnium bona sustulit: et plus IIII millibus hominum occisis se satiare non potuit. Fuit autem sub eodem factio desciscentibus sagittariis Osdroenis ab eodem ob amorem Alexandri et desiderium, quem a Maximino apud eos occisum esse constabat, nec aliud persuaderi potuerat. Denique etiam ipsi Tycum ex suis sibi ducem atque imperatorem fecerunt, quem Maximinus privatum jam dimiserat: quem quidem et purpura circumdederunt regioque apparatu ornarunt, et quasi sui milites obsepserunt, et invitum quidem. Sed hic Tycus dormiens domi suae ab uno ex amicis suis interfectus est, qui sibi doluit, illum esse praepositum, Macedonio nomine, qui eum Maximino prodidit, quique caput ejus ad imperatorem detulit. Sed Maximinus primo ei gratias egit, postea tamen ut proditorem odio habuit et occidit. His

ἐν τῇ σκηνῇ καθεύδων ἐπιβουλευθεὶς νύκτωρ αἰφνιδίως ἀνηρέθη ὑπὸ τοῦ συνόντος αὐτῷ καὶ δοκοῦντοσ φίλου, τῶν τε Ὀσροηνῶν πρότερον ἡγουμένου (Μακεδὼν ἦν ὄνομα αὐτῷ) καίτοι τῆς ἁρπαγῆς καὶ τῆσ ἀποστάσεως ἀρχηγοῦ τοῖς Ὀσροηνοῖς γενομένου. ὃς οὐδεμίαν αἰτίαν ἔχθρας οὔτε μίσους ἔχων ἀπέκτεινεν αὐτος ὃν ἥρπασέ τε καὶ ἀνέπεισεν οἰόμενός τε μεγάλα χαρίζεσθαι τῷ Μαξιμίνῳ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν ἐκόμισεν.

C. II. §. 1. 2. διοικήσας δὲ τὰ προειρημένα, πάντα τε τὸν στρατὸν ἀναλαβών, καὶ διαβὰς ἀφόβως τὴν γέφυραν, εἴχετο τῆσ πρὸς τοὺς Γερμανοὺς μάχης. μέγα δέ τι πλῆθοσ καὶ σχεδὸν ἅπασαν τὴν Ῥωμαίων δύναμιν σὺν ἑαυτῷ εἰς ἤγαγε, Μαυρουσίων τε ἀκοντιστῶν ἀριθμὸν πάμπλειστον καὶ τοξοτῶν Ὀρροηνῶν τε καὶ Ἀρμενίων, ὧν ἦσαν οἳ δέ φίλοι καὶ σύμμαχοι, καὶ εἴ τινες Παρθυαίων ἢ χρήμασι πεισθέντες καὶ αὐτομολήσαντες ἢ ληφθέντες αἰχμάλωτοι Ῥωμαίοις, ἐδούλευον.

rebus in dies immanior fiebat, ferarum more, quae vulneratae magis exulcerantur. Post haec transiit in Germaniam cum omni exercitu et Mauris et Osdroenis et Parthis et omnibus, quos secum Alexander ducebat ad bellum. Et ob hoc maxime orientalia secum trahebat auxilia, quod nulli magis contra Germanos, quam expediti sagittarii valent. Mirandum autem apparatum belli Alexander habuit, cui Maximus minus multa dicitur addidisse. Ingressus igitur Germaniam Transrhenanam per CCC vel CCCC millia barbarici (soli vicos incendit, greges abegit, praedas sustulit: barbarorum plurimos interemit militem divitem reduxit cepit innumeros et nisi Germani per amnes et paludes et silvas confugissent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegisset. Ipse praeterea manu sua multa faciebat, quum etiam paludem ingressus circumventus esset a Germanis nisi eum equo inhaerentem sui liberassent. Habuit enim hoc barbaricae temeritatis, ut putaret imperatorem manu etiam sua semper uti debere. Denique quasi navale quoddam proelium in palude

§. 7. περὶ ἐκεῖνα οὖν μάλιστα τὰ χωρία αἱ συμβολαὶ ἐγίνοντο ἔνθα καὶ γενναιότατα αὐτὸς ὁ βασιλεὺς τῆς μάχης ἦρξεν. ἐπὶ γάρ τινι ἕλει μεγίστῳ, τῶν μὲν Γερμανῶν ἐς αὐτὸ ἀναχωρούντων ἐς φυγὴν, ἐς δίωξιν δὲ Ῥωμαίων ἐπειςελθεῖν ὀκνούντων, πρῶτος ὁ Μαξιμῖνος ἅμα τῷ ἵππῳ ἐμβαλὼν ἐς τὸ ἕλος, καὶ ὑπὲρ γαστέρα τοῦ ἵππου βρεχομένου, τοὺς ἀνθεστῶτας ἐφόνευσε βαρβάρους . . . .

fecit plurimosque illis interemit.

Contra quomodo Aelius Lampridius Aeliusque Spartianus Herodiani scriptis usus sint ex his locis cognosces.

Herod. I. c. 14. §. 9.

Τοιοῦτος μὲν δὴ προϊὼν ἐφαίνετο, ἤλλαξε δὲ καὶ τῶν ἐνιαυσίων μηνῶν τὰ ὀνόματα, ὅσα μὲν ἀρχαῖα καταλύσας, πάντας δὲ ταῖς ἑαυτοῦ προςηγορίαις ὀνομάσας, ὧν αἱ πλεῖσται ἐς Ἡρακλέα δῆθεν ὡς ἀνδροειότατον ἀνεφέροντο. ἔστησε αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν, ἀλλὰ μὴν καὶ ἀντικρὺ τοῦ τῆς συγκλήτου συνεδρίου τόξον διηγκυλημένον· ἐβούλετο γὰρ δὴ καὶ τὰς εἰκόνας αὐτῷ φόβον ἀπειλεῖν.

Ael. Lamprid. vit. Commod. c. 11. 8. 9.

Menses quoque in honorem ejus pro Augusto Commodum . . . . vocabant.

Et eo quidem tempore, quo ad senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solum senatus hoc libenter accepit per irrisionem (quantum intelligitur) sed etiam se ipsum Commodianum vocavit, Commo-

C. 15. §. 9. τοῦ δὲ μεγίστου ἀγάλματος κολοσσιαίου, ὅπερ σέβουσι Ῥωμαῖοι εἰκόνα φέρον ἡλίου, τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν ἱδρύσατο ἑαυτοῦ, ὑπογράψας τῇ βάσει (οὐγ) ἃς εἰώθασι βασίλικὰς καὶ πατρῴους προσηγορίας, ἀντὶ δὲ Γερμανικοῦ μονομάχους χιλίους νικήσαντος.

C. 17. §. 3. ἦν δὲ παιδίον πάνυ νήπιον, τούτων δὴ τῶν γυμνῶν μὲν ἐσθῆτος χρυσῷ δὲ καὶ λίθοις πολυτίμοις κεκοσμημένων, οἷς ἀεὶ χαίρουσι Ῥωμαίων οἱ τρυφῶντες. ὑπερηγάπα δὲ κόμμοδος αὐτὸ ὡς συγκαθεύδειν πολλάκις . . . . . τὸ δὴ παίδιον . . . . εἰς δραμὸν ἐς τὸν θάλαμον ὥσπερ εἰώθει, τὸ γραμματεῖον ἐπὶ τοῦ σκίμποδος κείμενον ἀνελόμενον ἵνα δὴ παίζειν ἔχοι, πρόεισι τοῦ οἴκου . . . .

dum Herculem et deum appellans.

Accepit statuas in Herculis habitu, eique immolatum est ut deo. Multos praeterea paraverat interimere, quod per parvulum quendam proditum est, qui tabulam e cubiculo ejecit, in qua occidendorum nomina scripta.

C. 17. Ornamenta sane quaedam colosso addidit, quae postea cuncta sublata sint. Colossi autem caput dempsit, quod Neronis esset, ac suum imposuit: et titulum more solito subscripsit.

Herod. II. c. 7. §. 3.

ἔς τε τὸν ἱππόδρομον, ὅπου μάλιστα τὸ πλῆθος συνιὸν ἐκκλησιάζει, τὸν Ιουλιανὸν ἐβλασφήμουν, ἀρωγὸν δὲ

Ael. Spartian. vit. Did. Jul. c. 4.

E senatu in Capitolium pergenti populus obstitit, sed ferro et vulneribus et pollicitationi-

τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ καὶ σεμνῆς βασιλείας προστάτην Νίγρον ἐπεκαλοῦντο, βοηθεῖν τε αὐτὸν τὴν ταχίστην ἠξίουν ὡς ἐφύβριστα πάσχουσιν.	bus aureorum, quos digitis ostendebat, ipse Julianus (ut fidem faceret) summotus atque depulsus est: inde ad circense spectaculum itum est.

Sed occupatis inde indifferenter omnium subselliis, populus geminavit convitia in Julianum: Pescenninum Nigrum, qui jam imperare dicebatur, ad urbis praesidium vocavit.

Praeterea confer:

Jul. Capitol vit. M. Aurel. Phil. c. 28. Septimo die gravatus est — c. 29.	Herod I c 3 § 1 sq. c. 4 §. 8–15.
Aelius Lampr. v. Commod. c. 3. Bellum etiam, quod pater — Romam ut rediit	Herod. I c. 6 §. 9.
— 1 c. c. 17 Fuit forma quidem corporis justa	— 1 c. 7 §. 3.
— c. 4 Datum autem est negotium peragendae necis etc.	— c. 8. §. 6.
Aelius Spartian. v. Did. Jul.	
— c. 5 Ipse autem Julianus pratorianos — c.	— c. 11 §. 9.
— vit. Sever. c. 6 init.	Her. II c. 12 c. 14. §. 1.
Ael. Spart v. Sever. Cum Romam Severus venisset c. 7.	Herod. lib. II c. 1 c. 14 §. 2.
— — c. 11 ult. c. 12. init.	— c. 7 §. 3.
Jul. Capit. v. Opil. Macrin. e. 2 quamvis senatus una vox esset	— V c. 2 §. 1.
— c. 9. Fuit quaedam mulier Maesa — Suscepta enim illa	V c. 3 §. 1 – 5. §. 10
Lamprid Ant. Diadum. c. 2 Herodianus Graecus scriptor — Paraverat sane	V c. 4 §. 11 – 12
Ael. Lampr. Ant. Heliog. cs. Ergo cum hibernasset etc.	V c. 5 §. 3—5.
Summatim res excerptae sunt ex Aelio Lampridio vit. Alex. Sver. c. 52—99	VI c. 1 §.9—c.6 inot.
Jul. Capitol. Maximin. sen. c. 2 et in prima quidem pueritia	VI c. 8 §. 1 ff.

— c. 8 Maximinus aletem fuit ea astutia — 1. c.
Ael. Lampr. v. Sever. c. 59 c. 60 multi dicunt a Maximino — 1. c. c. 2.
— c. 25 Hujus imperium incruentum quidem — c. 9 §. 8.

E libris septimo et octavo Herodiani fere omnes res Capitolinus plane sumsit, cujus rei exemplum supra attuli. Herodiano aliena passim primis in decimis, duodecimo, tertio decimo, quinto decimo, sexto decimo, vicesimo quinto capitibus vitarum Maximinorum duorum reperiuntur.

Jul. Capitol. vit. Maxim. et Balb. c. 10. — c. 15. Herod. lib. VIII c. 3—8.

Omnibus locis collatis manifestum est et Lampridium et Spartianum et Capitolinum ab Herodiano permultum petivisse.

Praeter scriptores historiae Augustae Zonaras solus est, qui libris ipsis Herodiani usus est. A Commodo quidem ad Alexandrum Severum ex iis excerpsit, quae Dio scripserat, tum ab Alexandri Severi tempore Herodianum sequitur (Zonar Annal. lib. XII c. XV init. — c. XVIII. Heronian. lib. VI. c. 4 usq. ad lib. VIII ult.).

Alia quidem rebus ab Herodiano traditis discrepantia, quae a Cedreno narratis persimilia videntur, Zonaras commemorat, sed rejicit (velut c. XVII).

Ut cognoscas quemadmodum Zonaras Herodiani scriptis usus sit, appono hos locos.

Herod. lib. VI c. 4 §. 4—6.	Zonarae lib. XII. c. XV.
ἔδοξε δὲ αὐτῷ (Ἀλεξάνδρῳ) πρεσβείαν πάλιν πέμψαι πρὸς τὸν Πέρσην καὶ περὶ εἰρήνης καὶ φιλίας διαλέγεσθαι ἤλπιζε γὰρ αὐτὸν πείσειν ἢ φοβήσειν αὐτὸς παρών. ὁ δὲ βάρβαρος τοὺς μὲν πρέσβεις τῶν Ῥωμαίων ἀπέπεμψεν ἀπράκτους, αὐτὸς δὲ ἐπιλεξάμενος τετρακοσίους	*Ὁ μέντοι Ἀλέξανδρος οὕτος πρέσβεις ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν εἰρήνην αἰτῶν. ὁ δὲ βάρβαρος τὴν πρεσβείαν μὲν οὐ προσήκατο, ἄνδρας δὲ μεγίστους τετρακοσίους πολυτελέσιν ἀμφιέσας στο-*

Περσῶν τοὺς μεγίστους, ἐσθῆσί τε πολυτελέσι καὶ χρυσῷ κεκοσμημένους ἵππων τε καὶ τόξων παρασκευῇ, πρέσβεις ἔπεμψε δὴ πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον καταπλήξειν οἰηθεὶς τοὺς Ῥωμαίους τῇ τε ὄψει καὶ τῷ σχήματι τῶν Περσῶν. ἔλεγε δ' ἡ πρεσβεία ὅτι δὴ κελεύει μέγας βασιλεὺς Ἀρταξέρξης ἀφίστασθαι Ῥωμαίους τε καὶ τὸν ἄρχοντα αὐτῶν Συρίας τε ἁπάσης Ἀσίας τε τῆς Εὐρώπῃ ἀντικειμένης, ἐᾶσαι δὲ ἄρχειν Πέρσας μέχρις Ἰωνίας τε καὶ Καρίας καὶ ὅσα Αἰγαίῳ καὶ Πόντῳ ἔθνη διαιρεῖται εἶναι γαρ αὐτὰ Περσῶν προγονικὰ κτήματα. Τοιαῦτά τινα τῶν τετρακοσίων πρέσβεων ἀπαγγειλάντων, κελεύει ὁ Ἀλέξανδρος τοὺς τετρακοσίους συλληφθῆναι, καὶ παρελόμενος πάσης τῆς πεδικειμένης τῆς περικειμένης σκευῆς ἐς Φρυγίαν ἐξέπεμψε, δοὺς κώμας τε οἰκεῖν καὶ χώραν γεωργεῖν, τοσαύτην αὐτοῖς ἐπιθεὶς τιμωρίαν ὡς οἴκαδε μὴ ἐπανελθεῖν· ἀποκτεῖναι γὰρ ἀνόσιον καὶ οὐ πάνυ ἀνδρεῖον ἡγήσατο μήτε μαχο-

λαῖς καὶ ἵπποις τῶν ἐκκρίτων ἐπιβιβάσας καὶ ὅπλοις κοσμήσας λαμπροῖς ἔπεμψε πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον οὕτω καταπλήξειν αὐτόν τε καὶ τοὺς Ῥωμαίους οἰόμενος οἳ ἀφικόμενοι καὶ εἰς ὄψιν ἐλθόντες τῷ Ἀλεξάνδρῳ κελεύει ὁ μέγας βασιλεὺς Ἀρταξέρξης, εἶπον, ἀφίστασθαι Ῥωμαίους Συρίας καὶ τῆς ἀντικειμένης τῇ Εὐρώπῃ Ἀσίας πάσης, καὶ παραχωρῆσαι Πέρσαις ἄρχειν μέχρι θαλάσσης. τούτους συλλαβὼν ὁ Ἀλέξανδρος καὶ περιδύσας τὰ ὅπλα καὶ τὰς στολὰς ἀφελόμενός τε τοὺς ἵππους, εἰς κώμας πλείστας διέσπειρε καὶ ἠνάγκαζε γεωργεῖν. κτεῖναι γὰρ αὐτοὺς οὐκ ἔκρινεν ὅσιον. αὐτὸς δὲ

μένους καὶ τὰ κελευσθέντα ὑπὸ τοῦ ἑαυτῶν δεσπότου ἀγγείλαντας.

c. 5. §. 3. ἔνειμε (Ἀλέξανδρος) τὸ στρατιωτικὸν ἐς τρεῖς μοίρας.

C. 6. §. 3. ἐκεῖνος μὲν ὁ στρατὸς ἐπανιὼν πλεῖστος ἐν τοῖς ὄρεσι διεφθάρη, καὶ ἠκρωτηριάσθησαν οὐκ ὀλίγοι ἐν δυσχειμέρῳ χώρᾳ ὡς ὀλίγους πάνυ ἐκ πολλῶν ἐπανελθεῖν· τὸ δὲ σὺν αὐτῷ πλῆθος ὁ Ἀλέξανδρος ἐς τὴν Ἀντιόχειαν ἐπανήγαγε, πολλῶν καὶ ἐξ ἐκείνης τῆς μοίρας ἀπολωλότων, ὡς μεγίστην ἐνεγκεῖν δυσθυμίαν τῷ στρατῷ καὶ Ἀλλεξάνδρῳ ἀδοξίαν, σφαλέντι καὶ γνώμῃ καὶ τύχῃ καὶ τῶν τριῶν μοιρῶν τοῦ στρατοῦ ὧν ἔνειμε τὸ πλεῖστον ἀποβαλόντι διαφόροις συμφοραῖς νόσῳ πολέμῳ κρύει.

C. 7. §. 9. Ἀλέξανδρος μὲν ἐν τούτοις ἦν· πλὴν ἔδοξεν αὐτῷ πρεσβείαν πέμψαι πρὸς αὐτοὺς καὶ περὶ εἰρήνης διαλέγεσθαι. Πάντα τε ὑπισχνεῖτο παρέξειν ὅσων δέονται, καὶ χρημάτων ἀφειδῶς ἔχειν..

τὰ οἰκεῖα στρατεύματα εἰς τρεῖς διελὼν μοίρας τριχῆ τοῖς Πέρσαις προσέβαλε. καὶ πολὺς μὲν τῶν Περσῶν συμβέβηκεν ὄλεθρος, πλεῖστοι δὲ καὶ τῶν Ῥωμαίων ἐφθάρησαν, οὐ τοσοῦτον ὑπὸ τῶν πολεμίων ὅσον ἐν τῷ ἐπανιέναι διὰ τῶν τῆς Ἀρμενίας ὀρῶν. δισχειμέρων γὰρ ὄντων τούτων οἱ τῶν ὁδοιπορούντων πόδες, ἐνίων δὲ καὶ αἱ χεῖρες ἐκ τοῦ ψύχους ἠκρωτηριάσθησαν μελανθεῖσαι καὶ νεκρωθεῖσαι. διὸ καὶ ἐν αἰτίᾳ Ῥωμαίοις γέγονεν ὁ Ἀλέξανδρος. ὅθεν ἐξ ἀθυμίας ἢ καὶ ἀπὸ τῆς τῶν ἀέρων ἐναλλαγῆς σφόδρα ἐνόσησεν. ἀναρρωσθεὶς δὲ καὶ ἐς Γερμανοὺς ἐμβαλὼν δι' ἀκοντιστῶν καὶ τοξοτῶν ἐλύπει αὐτούς. στέλλει δὲ καὶ πρὸς αὐτοὺς πρέσβεις περὶ συμβάσεων ἐπὶ χρήμασιν.

Vita.

Ego Edwinus Volckmann Insterburgensis fidei addictus evangelicae natus sum a. d. V Idus Jan. MDCCCXXXV. Pater dilectissimus, quem quidem unum annum vita decessisse magnopere doleo, post bella pro patria liberanda gesta usque ad aetatem fere summam munere regio Insterburgae fungebatur, ubi primis literarum elementis imbutus scholam, quam Bürgerschule vocant, frequentavi. Inde Gumbinnam cum patre optimo migravi atque in quartam classem Gymnasii Gumbinnensis, quod florebat tunc dir. ill. Prang postea ill. Hamann, receptus sum. Anno MDCCCLIV Gumbinna cum Tilsam cum patre optimo me contulissem Gymnasii Tilsensis, quod dir. ill. Fabian floret, primae classi adscriptus sum. Octodecim autem mensibus post maturitatis testimonio accepto anno h. s. LV a prorectore magnifico, professore ill. Simson decanoque prof. ill. Schubert in numerum civium Academiae Albertinae receptus sum, quo ex tempore ingenii inclinatione ductus in studia historiae incubui. Itaque exercitationum, quas prof. ill. Schubert in historico seminario dirigit, particeps factus per annos quatuor seminario interfui atque me ex illis exercitationibus maximum commodum percepisse profiteor; neque

minus assidue interfui iis exercitationibus, quas prof. ill. Giesebrecht in exponendis scriptoribus quibusdam medii aevi dirigit. Ex utroque exercitationum genere cum quantam voluptatem, tantum fructum hauserim his duobus viris illustrissimis imprimis, si quid in historiae studiis profecerim, plurimum me debere ex animi sententia dico. Praeterea proff. ill. Drumann, Giesebrecht, v. Hasenkamp, Schubert, Voigt varias historiae partes me docuerunt. Sed philologiae quoque philosophiae artibusque, quantum quidem potui, navabam in scholis proff. ill. Friedlaender, Hagen, Lobeck, Rosenkranz.

Quibus omnibus viris nec minus illis, qui antea in gymnasio Tilsensi et gymnasio Gumbinnensi me literis instituerunt, optime de me meritis gratias ago vel maximas eorumque memoriam gratissimo animo semper servabo.